



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

640. An pensio extinguatur ob homicidium voluntarium, aliâ vecrimina qualificata, patrata à Pensionario, aut ob contractam exinde, aut ab eo irregularitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



non transfuso, quin potius extincto. Lott. num. 353. & 354.

3. Respondeo tertio: Dum tamen quasi possessio illa transferentis fuit non solum longa, sed etiam longissima 30. annorum, translatus non tenetur ad justificationem gratiæ transferentis. Lott. num. 355. ed quod tunc præsumptio veritatis narratorum non oriatur translatus ex quasi possessione, quæ ipse utatur, sed ex præscriptione longissima; cum verisimile non sit, pensionem per adeo longum tempus fuisse exactam, & solutam, si gratia non fuisset justificata.

4. Respondeo quarto: Si neque transferens unquam adhuc exegit, sine dubio translatus tenetur ad justificandum non tantum translationem, sed & ipsius reservationis literas. Lott. num. 359. nisi ageretur contra illum, qui pensioni consentit; tali enim consensu supposito, sufficit justificare gratiam translationis, quæ ut plurimum consumitur circa habilitatem personæ, & qualitates expressas, quantumcunque non necessarias; ex enim omnino sunt justificandæ de ipso tempore translationis. Lott. num. 360. Unde etiam, si quis narravit se inhabilem, sed dispensatum, tenetur exhibere dispensationem, & justificare causam in ea narratam. Lott. num. 361. ex Decio in c. porrecta. n. 11. de confirm. utili vel inutili.

#### De extinctione pensionis.

*Questio 638. An privatio beneficiorum extendat se ad pensiones, ita ut si quis privetur, aut privandus sit beneficio ob delictum, eo ipso quoque privetur, & privandus sit pensione Ecclesiastica, si quam habet, etiam dum id non exprimitur?*

Respondeo: Præscindendo à stylo in contrarium, de quo testatur Farinac. apud Tond. loc. mox citand. id in genere dici non posse, quia nomine beneficii, præcipue in pœnalibus, & odiosis non venit pensio. Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. § 4. n. 96. 97. juncto nu. 101. citans Gratian. discept. for. c. 397. n. 14. Sic quoque Card. de Luc. de pens. d. 49. n. 4. ait: quod licet pensiones Ecclesiastica retervata, ut tales pro Clerico assumentur beneficiis, eorumque jure censentur (intellige, etiam respectu amissionis earundem) atramen certum sit, facilis in criminoso tolerabilem esse pensionis retentionem, quam beneficii; cum pensio non percutiat substantiam beneficii, nec jus spirituale tribuat super fructibus.

*Questio 639. An ob hæresim extinguatur pensio?*

Respondeo: Hæreticum non solum uti beneficiorum obtinendorum, ita etiam pensionum incapax esse Tond. loc. cit. nu. 117. citans Ricciul. tr. de person. extra grem. Eccl. existentibus. l. 5. c. 19. nu. 7. juxta dicta à nobis supra; sed etiam privari pensionibus obtentis. Lott. l. 1. q. 42. nu. 51. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 3. n. 31. id ipsum extendentes ad hæretici filios, ac nepotes, ac citantes pro hac extensione Tho. Sauch. in sum. l. 2. c. 28. nu. 36. & Rotan in Conchens. pens. 6. Martii. 1609. quæ est decis. 123. p. 3. Recent. Intelligique hoc ipsum tam de filiis illegitimis, quam legitimis, ne majus privilegium habeat luxuria, quam castitas, ait Ven-

trigl. *ibid.* Item intelligi de nepotibus descendentibus per lineam paternam, non verò maternam. Item privationem illam pensionum afficere hos filios, & nepotes, etiam dum pater hæreticus fuit, tantum damnatus in contumacia, dommodo sit verus contumax, subjungit Ventrigl. in fine. n. 31.

*Questio 640. An pensio extinguatur ob homicidium voluntarium, aliave crimina qualificata patrata à pensionario, aut ob contractam exinde, aut ab eo, Irregularitatem?*

Respondeo: Quemadmodum beneficia obtenta non vacant per homicidium, aliisque crimina, quamvis irregularitatis induciva, nisi in casibus, quibus ita jure statutum sit, etsi crimen possit esse justum motivum judici ad damnandum ad hæc pœnam privationis beneficiorum: ita pariter loquendum de extinctione pensionis, & quidem à fortiori. Card. de Luc. de pens. d. 49. n. 3. & 4. d. 47. n. 11. ubi expressè: homicidium voluntarium, aut aliud crimen, quamvis majoris irregularitatis inducivum, non causat amissionem pensionis, vel beneficii. Atque ita intrat argumentum à fortiori, ut si per homicidium, aliisque qualificata delicta, non vacant beneficia, multò minus amittantur pensiones. Unde jam patet responsio ad secundum, nimirum irregularitatem supervenientem, uti non causare vacationem beneficii, ita nec extinctionem pensionis. Card. de Luc. loc. cit. n. 11.

*Questio 641. An ob bannum capitale, continens quoque confiscationem bonorum, comprehendantur quoque pensiones, ita & ut hæc transeant ad Fiscum, aut extinguantur?*

Respondeo primo: Si sermo est de pensione merè temporali (intelligendum videtur, non tam de pensione laicali, hoc est, desumpta ex fructibus Ecclesiæ, & assignata laico pro ministerio aliquo temporali ei exhibito, quam de pensione alia omnino seculari assignata ex bonis aliis secularibus) ea venit sub confiscatione bonorum ad commodum fisci. Card. de Luc. de pens. d. 49. n. 7. ex Gamb. loc. paulò post. citando. si verò sermo est de pensione Ecclesiastica, ea neque quò ad commodum, seu commoditatem transit ad fiscum Ecclesiasticum, durante vitâ istius pensionarii delinquentis, ut expressè ex Gamb. de por. leg. l. 6. ex n. 722. & præcipue n. 240. asserit Lott. l. 1. q. 42. n. 33. Sed continuò latâ sententiâ talis banni capitalis ob delictum, tanquam per mortem civilem assimilata morti naturali extinguitur, Ecclesiâ libertatem acquirente, eo modo, quo de jurepatriatus non transeunte in fiscum pœnalem, cum publicatione bonorum ex delicto dici solet. Card. de Luc. loc. cit. ita expressè dicens distingui, & teneri à Gamb. eod. loc. quo illum citavit Lott. Probat id ipsum Card. de Luca. num. 8. & 9. quod, cum pensionarius per bannum capitale dicatur effici servus pœnæ, & incapax possidendi bona, ac jura, ea transire non possunt in fiscum, ita gerentem vices, & personam hæredis anomali delinquentis; neque ea stare possunt in aëre, ac sine possessore, & domino; adeoque, sicut per capitis diminutionem maximam ex banno capitali resultantem extinguitur usufructus (juxta cujus terminos, ut plurimum regulatur pensio) ita & pensio, utpote in qua tanquam jure vitalitio non datur formalis translatio de uno in alium, neque vacatio,